

38. Febris autem Morbillos comitata licet ob Sanguinis fervorem sit impetuosior, perfectius tamen & brevius ob materie peccantis tenuitatem judicatur, Morbillis ferè simul prodeuntibus. Cum Variolæ, quamvis ebullitio jam finita sit, ardorem aliquem febrilem vel ob eruptionem successivam foveant, vel ob inflammationem partium obsessarum & Suppurationem renoveant.

39. Ipsæ Variolæ cum ob Humorum Crassitiem & Copiam necessariò in saniem quandam concoquantur, diuturniores sunt Morbillis. Illæ siquidem Eruptionis Maturationis & Exiccationis tempus producant ut plurimum à die quarto ad quartum decimum. Hi ultra septimum vix compareant.

40. Variolas periculosiores esse statuunt alii, alii Morbillos, sed distinctio conciliat hanc differentiam. Morbilli possunt esse deteriores ratione Febris, Variolæ ratione sui ipsarum. De his igitur, quid Salutis aut Periculi monstrent, prolixius.

41. Ex Eruptionis modo prædicimus festinam & simultaneam apparitionem salubriorem esse, quàm tardam & successivam. Disparitionem pessimam.

42. Ex *Materiae conditione*: ratione *Qualitatis*, albas citrinas, rubras molles præferimus duris, liviscentibus, nigrescentibus. *Qualitatis* ratione nihil concludimus cum tam multæ & magnæ, quàm paucæ & parvæ possint esse malæ: illæ, quod notent Humorum copiam, hæ Crisim imperfectam & Expultricis imbecillitatem. Paucæ tamen & magnæ videntur laudabiliore.

43. Ex *Parte affectâ*. Internæ semper periculosiores, quod Inflammationes & Exulcerationes pariant sæpe lethales. Unde Anginæ, (a) Phthises, (b) Dysenterix, (c) Gangrænæ (d). Intestinatorum Sphacelum qui etiam Abdominis musculosprehendisse videbatur, observavit Ampliss: Dn. Præses. Externæ damnantur, si in pectore ventre & facie copiosiores sint, quàm in artubus, ad quos Natura alias protrudit Humores, si triumphet.

a) Avic. l. c.

b) Senn.

2. Pr. 2. 12.

c) Pareus

l. 19. c. 1.

Horst. App.

ad l. 1. obs.

P. 2. p. 118. (d) Arniseus in Ep. Horst. s. 11. ep. 4. 5.